

# **De ave Phoenice**

Est locus in primo oriente remotus  
qua patet aeterni maxima porta poli  
nec tantum aestivos hyemisque propinquus ad ortus  
in quo sol verno fundit ab axe diem.  
illic planicies tractus diffundit apertos  
nec tumulus crescit nec cava vallis hiat  
sed nostros montes: quorum iuga celsa putantur  
per bis sex ulnas eminent ille locus  
hic solis nemus est: et consitus arbore multa  
lucus perpetuae frondis honore virens  
cum phaetontaeis flagrasset ab ignibus axis  
ille locus flammis inviolatus erat  
et cum diluvium mersisset fluctibus orbem  
deucalionaeas exuperavit aquas.  
non hunc exangues morbi non aegra senectus  
nec mors crudelis nec metus asper adit  
nec scelus infandum nec opum vesana cupido  
aut metus aut ardens caedis amore furor.  
luctus acerbus abest et aegestas obsita pannis  
et curae in sontes et violenta fames.  
Non ibi tempestas nec vis horrida venti  
nec rigido terram rore pruina tegit.  
nulla super campos tendit sua vellera nubes  
nec cadit ex alto timidus humor aquae.  
sed fons in medio est quem vivum nomine dicunt  
perspicuus lucens dulcibus uber aquis.  
qui semel erumpens per singula tempora mensum  
duodecies undis irrigat omne nemus.  
hic genus arboreum procero stipite surgens  
non lapsura solo mitia poma gerit.  
hoc nemus hos lucos avis incolit unica phoenix  
unica sic vivit morte refecta sua  
paret et obsequitur phoebei memoranda satellites  
hoc natura parens munus habere dedit.  
lutea cum primum surgens aurora rubescit  
cum primum rosea sidera luce fugat.  
ter quater illa pia immergit corpus in undas  
ter quater e vivo gurgite libat aquam  
tollitur ac summo consedit in arboris altae  
vertice quae totum despicit una nemus  
et conversa novos Phoebi nascentis ad ortus  
expectat radios et iubar exoriens  
ast ubi sol pepulit fulgentis lumina portae  
et primum emicuit luminis aura levis  
incipit illa sacri modulamina fundere cantus  
et mira lucem voce ciere novam.

quam nec aedoniae voces nec tibia possit  
musica cyrrhaeis assimilare modis  
sed neque dolor moriens imitare nosse putatur  
nec cylleneae fila canorae lyrae  
postquam Phoebus equus in aperta refudit Olympi  
atque orbem totum pertulit usque  
illa ter alarum alarum repetito verbere plaudit  
non errabilibus nocte cieque sonis.  
atque eadem celeres etiam discriminat horas  
igniferumque caput ter venerata silet  
antistes nemorum luce veneranda sacerdos  
et sola arcanis conscia Phoebe tuis  
quae postquam vitae iam mille peregerit annos  
at se reddiderint tempora longa gravem.  
ut repararet lassum spatiis urgentibus evum  
assueti nemoris dulce cubile fugit.  
cumque renascendi studio loca sancta reliquit  
tunc petit hunc orbem mors ubi regna tenet  
dirigit in Syeriam celeres longaeva volatus  
phoenicis nomen cui dedit ipsa vetus.  
secretosque petit deserta per avia lucos  
hic ubi per saltus silva remota latet  
tum legit aereo sublimem vertice palmam  
quae gratum phoenix ex ave nomen habet.  
quam nec dente potens animal perumpere possit  
lubricus aut serpens aut avis ulla rapax.  
tum ventos claudit pendentibus Aeolus antris  
ne violent flabris aera purpureum  
neu concreta notho per inania coeli.  
summoneat radios solis et obsit avi.  
construit inde sibi seu nidum sive sepulcrum  
nam perit ut vivas se tamen ipsa creat  
colligit hinc succos et odores divite silva  
quos legit Assyrius quos opulentus Arabs.  
quos aut Pygmaeae gentes aut India carpit  
aut molli generat terra Sabaea sinu.  
cinama dehinc auramque procul spirantis amomi  
congerit et mixto balsama cum folio.  
non casiae mitis non olentis vimen achanti  
nec thuris lachrymae utraque pinguis abest  
his addit teneras nardi pubentis aristas  
et sociat myrrhae pascua grata nimis  
protinus in strato corpus mutabile nido  
vitalique thoro membra quieta locat  
oreque dehinc succos membris circumque supraque  
iniicit exequiis immoritura suis  
tunc inter varios animam commendat odores  
depositi tanti nec timet ulla finem.  
interea corpus genitalem morte peremptum

aestuat et flammam protulit ipse calor  
aereoque procul de lumine concipit ignem  
flagrat et ambustum solvitur in cinerem.  
hos velut in massam cineres in morte coactos  
conflat et effectum seminis instar habet  
hinc animal primum sine membris fertur oriri  
sed fertur vermis lacteus esse color  
creverit immensum subito cum tempore certo  
seque qui teretis colligit in speciem.  
inde reformatur qualis fuit ante figura  
et phoenix ruptis pullulat exuviis.  
ac velut agrestes cum filo ad saxa tenentur  
mutari pennae papilione solent.  
non illi cibus est nostro concessus in orbe  
nec cuiquam implumem pascere cura subest.  
ambrosio libat coelesti nectare rores  
stellifero teneri qui cecidere polo.  
hos legit his mediis alitur in odoribus ales  
donec maturam proferat effigiem.  
ast ubi primaeva coepit florere iuventa  
evolat ad patria iam reditura domos.  
ante tamen proprio quicquid de corpore restat  
ossaque vel cineres exuviasque suas.  
unguine balsameoque myrrhaque et thure soluto  
condit et in formam conglobat ore pio.  
quam pedibus gestans contendit solis ad ortus  
inque ara residens promit in aede sacra.  
mirandam sese prestat praebetque vehenti  
tantus ibi decor est tantus abundat honor.  
principio color est qualis sub sidere coeli  
mitia quae croceo punica grana legunt.  
qualis inest foliis quae fert agreste papaver  
cum pedes vestit sole rubente polus.  
hoc humeri pectusque decens velamine fulgent.  
hoc caput hoc cervix summaque terga nitent  
caudaque porrigitur fulvo distincta metallo  
in cuius maculis purpura mixta rubet.  
clarum inter pennas insigne desuper iris  
pingere ceu nubem desuper alta solet.  
albicat insignis mixto viriditate smaragdo  
et puro cornu gemmea cuspis hiat.  
ingentes oculos credas geminosque hiacintos  
quorum de medio lucida flamma micat.  
aequatur toto capiti radiata corona  
phoebei referens verticis alta decus.  
crura tegunt squammeae flavo distincta metallo  
ast unguis roseus pingit honore color.  
effigies inter pavonis mixta figuram  
cernitur et mixtam phasidis inter avem

magnifice terris Arabum quae gignitur ales.  
vix aequare potest seu fera seu fit avis.  
non tamen est tarda ut volucres quae corpore magno  
incessus pigros per grave pondus habent.  
sed levis et velox regali plena decore  
talis in aspectu se praebet usque hominum.  
convenit Aegyptus tanti ad miracula visus  
et raram volucrem turba salutat ovans.  
protinus isculpunt sacrato in marmore formam  
et signant titulo remque diemque novo.  
contrahit in coetum sese genus omne volantum.  
nec praedae memor est ulla nec ulla metus  
alitur stipata choro volat illa per altum  
turbaque prosequitur munere laeta pio.  
sed postquam puri pervenit ad aetheris auras  
mox redit ista suis conditor ille locis.  
a fortunatae sortis finisque volucrem  
cui de se nasci praestitit ipse deus!  
femina vel mas haec seu neutrum seu sit utrumque  
felix quae Veneris foedera nulla colit  
mors illi venus est, sola est in morte voluptas  
ut possit nasci appetit ante mori.  
ipsa sibi proles suus est pater et suus heres  
nutrix ipsa sui semper alumna sibi  
ipsa quidem sed non eadem quia et ipsa nec ipsa est  
aeternam vitam mortis adepta bono.